



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

9. Argumentum principale ponitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

existentes supponit in obiecto aliquam varietatē pro aliquo tempore, cui aternitas coexistit; vel saltem supponit aliquod decretum liberum divinæ voluntatis, & ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod fundamentum, vel principium illius denominationis. At vero in voluntate nihil supponi potest sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligitur, ab ipso actu libero trahit originem.

149 Et ratio à priori est, quia scientia etiam ut terminata ad talia obiecta contingentia, non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti, vel existentis, vel futuri; at vero voluntas ut terminata ad talia obiecta est formaliter libera; & ideo illa denominatio in scientia potest intelligi per modum cuiusdam respectus resultantis necessario in ipsa, posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibilis, in voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsa voluntate omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis denominationis.

150 Virgetur amplius eadem prima, ac præcipua maior, quia velle, amare, & similes denominationes, cum sint vitales, non possunt esse omnino extrinsecæ: ergo vel Deus non amat, vel amat per amorem, qui in ipso intrinsece est. Præterea, quia facere illo modo, cum indifferentia scilicet agendi, & non agendi, & nihilominus determinare se ad agendum immediate ac formaliter per ipsam actionem extrinsecam, est modus intelligibilis, ac impossibilis, & quamvis esset possibilis esset imperfectissimus.

151 Primum patet, quia non intelligi potest, solem non esse naturaliter determinatum ad illuminandum, etiam applicato passo & concurrentibus illis ad agendum requisitis, & tamen se se determinare ad illuminandum solum per illuminationem, quæ in passo recipitur, cur enim determinatus est nunc & non antea? sane non potest reddi ratio, quia nunc illuminat; huius enim rationem quærimus, quam oportet ex parte ipsius agentis reddi, quia supponimus non determinari ab alio, per actionem autem mere extrinsecam non potest se determinare, si alioqui erat indifferens; quia per illam non potest velle, nec in se habere determinationem ad agendum, in quo est magna differentia inter voluntatem & similia agentia; nam voluntas actione sua interna vult non solum obiectum, sed ipsam actionem, & ideo potest per illam se determinare.

152 Secundum patet, quia ille modus determinationis potentia indifferentis re vera non esset per modum actus vitalis, sed solum per modum actionis extrinsecæ; hic autem modus imperfectus est. Præterea non posset intelligi in tali modo actionis quod esset proprie, & formaliter propter finem ex intentione & relatione agentis; nam illa relatio non est necessaria, sed libera; potest enim Deus vnum effectum propter varios fines operari, hæc autem denominatio, seu connotatio non est formaliter in ipsa actione extrinseca, imo nec semper in illa apparet: ergo non potest talis modus operandi propter finem ex sola extrinseca denominatione Deo tribui, sed potius è contrario per denominationem ab actu interiori, vel externa eius actio dicitur esse propter talem finem ergo nullo modo defendi potest prædicta sententia.

## SUBSECTIO IX.

*Argumentum principale ponitur.*

153 **Q**uia per vos mutatio extrinseca, quæ requiritur ad constitutionem aquæ liberi Dei, debet esse extrinseca respectu Dei, & intrinseca, ac physica respectu creaturæ, sed in effectibus præsertim moralibus potest Deus multa libere velle, quæ non faciunt in rebus specialem mutationem physicam realem: ergo non est illa necessaria ad actum liberum Dei. Minor in qua est difficultas sic probatur, quia Deus potest transferre dominium alicuius, quod habet aliqua persona, in aliam personam, ut contingit in Ægypto, Deus enim transtulit dominium, quod habebant Ægyptij circa suas opes ad Hebræos, & nihilominus in hoc casu nulla resultavit in hominibus aut rebus specialis mutatio intrinseca physica, & ratio à priori, quæ me maxime movet, est non solum hic, sed in condonatione extrinseca, de qua Subsecciónem sequenti agemus data opera; quia tales formalitates dominij &c. sunt morales & non physicae; ac proinde non physicae, sed moraliter debent destrui.

Deinde interrogo ab adversariis, quæ mutatio facta fuerit in Ægyptiis, quando ab iis ad Hebræos translatus fuit dominium opum.

154 Dices, factam fuisse revelationem à Deo intimantem translatus esse dominium ab ipsis ad Hebræos. Sed contra manifeste, quia talis relatio impediret finem intentum à Deo de spoliatione Ægyptiorum per Hebræos; nam si Ægyptiis constaret media illa revelatione de tali translatione dominij in Hebræos, minime sponte mutuas tribuerent gazas Hebræis simulatæ ab Ægyptiis petentibus sine animo iterum ipsis Ægyptiis reddendi illas: ergo nullius momenti est revelatio ficta ab adversariis in ordine ad Ægyptios, etiam si apparenter defendi possit ex parte Hebræorum, præsertim, quia ut omnes Doctores Ecclesiæ August. Hieronym. Gregorius, Ambrosius, Cyprianus & reliqui, nulla fuit facta revelatio Ægyptiis, quia indigni erant allogenatione divina: ergo talis revelatio non erat necessaria ad constituendum decretum illud transferendi dominium.

Dices, ad illud decretum sufficere revelationem factam Hebræis.

156 Sed contra, quia decretum adæquatum, illud de quo loquimur, non solum respiciebat Hebræos, sed etiam Ægyptios, unde terminabatur adæquate ad utroque: ergo mutatio, quæ deberet constituere adæquate ipsum decretum non solum debet fieri in Hebræis, sed etiam in Ægyptiis, sicut quia ipsum decretum habet pro obiecto adæquate quæ non solum Hebræos, sed Ægyptios, quato, non solum Hebræos, sed etiam ad Ægyptios, sed etiam ad Hebræos, sed etiam ad Ægyptios; sed mutatio extrinseca in obiecto huius decreti adæquate constituit ipsum decretum per vos: ergo sicut obiectum adæquatum huius decreti non solum sunt Hebræi sed etiam Ægyptij, ita similiter mutatio, quæ constituit adæquate tale decretum non solum debet fieri in inadæquato obiecto, quales sunt

## Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 323

sunt Hebraei, sed etiam in adaequato, quales sunt Hebraei, & Aegyptij simul; sed per vos non est mutatio necessaria in Aegyptiis, sed solum in Hebraeis: ergo evidenter sequitur per talem mutationem adaequate non constitui decretum liberum, nec esse necessariam ad talem constitutionem; nam si esset necessaria in utroque esset necessaria; sicut quia tendentia illius decreti est necessaria ad constitutionem illius decreti, ut constituatur adaequate illud, non solum requiritur tendentia ad Hebraeos, sed etiam tendentia ad Aegyptios; & si non est necessaria tendentia ad Aegyptios, Aegyptij non essent obiectum per se talis decreti: sed mutatio per vos ex parte obiecti necessario, & formaliter requiritur ad constitutionem huius decreti: ergo talis mutatio necessaria non solum erit in Hebraeis, sed etiam in Aegyptiis, quia obiectum per se talis decreti non solum sunt Hebraei, sed etiam Aegyptij, sed per vos saluatur decretum sine mutatione ex parte Aegyptiorum, licet sint obiectum per se: ergo etiam potest saluari sine mutatione ex parte Hebraeorum; etiam si Hebraei sint obiectum per se, quia non est maior ratio vnius, quam alterius; quia tam per se obiectum illius decreti sunt Aegyptij, ac Hebraei, ac proinde poterit saluari decretum, & constitutio illius formalis sine mutatione vlla extrinseca ex parte obiecti.

157 Deinde proba nullius momenti esse reuelationem illam factam Hebraeis ad hoc ut per illam constituatur decretum liberum, per quod transferatur dominium ab Aegyptiis ad Hebraeos; quia per illam reuelationem non transfertur dominium ad Hebraeos; sed potius supponitur iam translatum dominium ante illam reuelationem, ac proinde supponitur adaequate constitutum decretum de tali translatione; nam illa reuelatio declarat dominium esse translatum, ac proinde reuelat decreuisse Deum complete, & adaequate transferre tale dominium; unde habet pro obiecto ipsum decretum, de translatione dominij, sed obiectum alicuius cognitionis, seu reuelationis non constituitur per illam, sed potius supponitur ad illam; quia quod est prius non constituitur per posterius: ergo decretum liberum, quod est obiectum talis reuelationis, non constituitur per talem reuelationem, verbi gratia scientia visionis in Deo non constituit futuritionem, neque decretum liberum de futuritione, quia tam futuritio, quam decretum liberum de illa sunt obiectum illius; & ut sic praesupponuntur ad illa, cognitio enim pure speculativa non facit, aut constituit obiectum, sed supponit iam constitutum; quia id, quod mere speculativum est, nihil operatur in obiecto, sed reuelatio illa habebat pro obiecto dominium translatum iam factum per decretum, ac proinde erat pure speculativa de tali obiecto: ergo neque constituerebatur decretum, neque dominium translatum.

158 Tum etiam, quia formaliter aliud est velle transferre dominium, aliud velle reuelare talem translationem per decretum antecedens; unde illa mutatio reuelationis non responderet priori voluntati, sed huic posteriori, nos autem contendimus, illam priorem voluntatem habere sine mutatione reali in obiecto intrinsece, & physice.

159 Deinde interrogo, an si statim ac Deus voluit efficaciter, & dixit, fiant Hebraei domini diuitiarum, & priuentur Aegyptij dominio illarum, antequam aliqua fieret reuelatio; vel alio-

*A. P. Tom. II.*

querentur Hebraei Aegyptios; fuerint facti vere domini Hebraei, & priuati tali dominio Aegyptij, vel non? hoc secundum falsum est; alias decretum efficax Dei frustraretur, & non mandaretur executioni, eo modo, quo decernitur, decernitur enim translatio dominij absolute sine conditione & non transfertur dominium sine conditione locutionis: ergo primum dicendum est, ac per consequens non dabitur mutatio ad illam volitionem, praecipue cum non dependeat Deus in tali opere a voluntate Hebraeorum, & Aegyptiorum; cum sit Dominus absolute illarum rerum, & dominij earundem; praecipue cum ut probatum est, talis mutatio & locutio non sit ad transferendum dominium; quia talis reuelatio reuelabat, translatum iam esse.

Præsertim, quia talis reuelatio, quæ pertinet 160 ceter petetur ab aduersariis, non erat necessaria, nisi ut Hebraei non operarentur ex ignorantia invincibili cogitantes, non esse translatum dominium, sed cognitio tollens ignorantiam invincibilem circa aliquod obiectum, vel de aliquo obiecto, supponit iam tale obiectum constitutum: ergo talis reuelatio supponebat decretum, & translationem dominij iam esse factam, ac proinde de illa illuminabat Hebraeis, ut expelleret ignorantiam de ipsa, ne operarentur cum ignorantia circa talem translationem, sed potius possent operari libere sine vilo scrupulo cognoscendo iam esse factam supradictam translationem; & ipsos esse constitutos Dominos omnium diuitiarum Aegyptiorum.

Sed ut funditus hæc solutio de reuelatione 161 labefacteretur, certissimum est, expulsionem ignorantiae non esse necessariam ad translationem dominij, sed solum ad rectum usum talis dominij, ut operarentur, non tanquam fures, sed tanquam vere domini: ergo si Deus statim ac decrevit, transferre dominium in Hebraeos, decerneret, ut ante usum talis dominij operarentur, tam Hebraei, quam Aegyptij, ita ut nullo modo possent mandare executioni proprium dominium; tunc enim sine dubio transferretur dominium, & nullo modo erat necessarium decretum reuelandi talem translationem, quia superfluum esset decretum illud reuelationis, & superflua esset reuelatio ipsa, siquidem reuelatio illa erat solum necessaria ad hoc, ut recte operarentur Hebraei, si operaturi essent; sed supposito decreto de morte ipsorum ante operationem eorundem & ante usum talis dominij, & de exercitio talis usus esset impossibilis operatio illa praecipue, si Deus decreuisset ut potuit decernere, nullo modo concurrere, sed potius omnino subtrahere concursum ad talem operationem: ergo esset omnino superflua talis reuelatio, & frustra poneretur decretum de tali reuelatione; unde daretur primum decretum sine secundo decreto; sed ad illud primum non esset necessaria illa reuelatio, neque alia mutatio potest assignari ad constitutionem illius decreti: ergo iam datur decretum liberum Dei sine vlla mutatione physica intrinseca in creatura.

Alij respondent, illum motum localem, per quem se conferebant ad domos Aegyptiorum Hebraei, & locutiones illas, quibus perebant ab illis diuitias, fuisse mutationem factam ex vi decreti transferendi dominium opum.

*Sf 2 Sed*

<sup>163</sup> Sed contra manifeste, quia tunc per illum motum localem, & loquutiones solum se disponebant Hebræi, ut in possessionem illorum bonorum ingrederentur; minime autem per illas loquutiones, & dispositiones Domini efficiebantur; quia iam ante loquutiones, & motum localem facti erant domini, & habebant plenum dominium divitiarum; imo quia iam ante sciebant esse veros dominos illarum divitiarum, faciebant quantum poterant, sive loquendo, sive se conferendo ad domos Ægyptiorum, ut constituerentur in possessione divitiarum, quantum dominium illis tribuerat Deus; alias peccarent mortaliter, si se conferrent ad Ægyptios, mutuo peterent divitias illas, & c., antequam essent domini illarum; sed non peccarent ut omnes Doctores asserunt: ergo evidenter sequitur illos antequam loquerentur cum Ægyptiis, & se ad domos eorum conferrent, aliaque id genus fecerint, jam habuisse dominium illarum rerum, quarum possessionem per talia media comparare intendebant; ideo enim instigabantur à Deo, ut peterent, & acciperent gazas ab Ægyptiis animo iterum non reddendi eas, quia in Hebræos transfulerat dominus dominium circa tales opes; eoque vere, & realiter Domini reddebantur: ergo causa talis motus localis, & loquutionis, ut possessione fruerentur bonorum, quæ mutua acceperant ab Ægyptiis, erat dominium iam translatum antecedenterque illis tributum; quia talis mutatio non sequebatur ad volitionem transferendi dominium, sed potius ad decretum tribuendi possessionem ipsis; quod decretum distinctum est à prima volitione; sicut distinguitur voluntas causa à voluntate effectus: ergo mutatio illa non correspondebat voluntati transferendi dominium sed potius voluntati tradendi possessionem; unde in executione mutationes illæ non fiebant ad dominium acquirendum, quod iam ante illas comparaverant, sed potius ad possessionem consequendam; itaque illa mutatio non fiebat per voluntatem Domini reddendi Hebræos, sed per novum & distinctum actum divinæ voluntatis nostro modo intelligendi: ergo sistendo præcise in priori actu, seu decreto, ille habetur sine mutatione Dei, vel hominis; & cum sit efficax suum effectum habet: ergo decretum liberum Dei non constituitur necessario per aliquam mutationem physicam extrinsecam, imo potius dicendum est nunquam constitui per illam, sed maximum talem mutationem esse effectum subsequutum ad decretum, tanquam ad causam, ratione cuius nullo modo potest decretum constitui per illam, quia ut iam supra demonstravimus, causa efficiens nunquam constituitur per proprium effectum.

<sup>164</sup> Sed demus, talem solutionem aliquid valere ad translationem dominij, nihilominus tamen nullius momenti est in ordine ad remissionem poenæ temporalis debitæ pro peccato in purgatorio solvendæ; nam sine dubio potest Deus illam totam gratis remittere sua libera voluntate de qua nemo negat, posse à Deo fieri sine mutatione physica peccatoris, & tamen sit per actum liberum; neque ibi est necessaria revelatio aliqua; quia non est necessaria ad tollendam conscientiam erroneam; unde sine vlla scientia in hac vita talis remissionis potest homo in fine vitæ invenire se liberum ab illo reatu, etiam si in vita ignoraverit talem

solutionem, & fortasse ita de facto sit per oblationem sacrificij, vel per aliquid aliud simile: eodem enim modo potest fieri argumentum in remissione poenæ, quæ vni fit propter satisfactionem alterius; nam posset Deus non acceptare illam satisfactionem pro alio, sed tantum pro ipsomet operante: nunc autem ita illam acceptat ut habeat illum effectum in alio, & non in ipso operante: ergo necessario hoc referendum est ad liberam Dei voluntatem cum diverso respectu morali sine alia mutatione intrinseca reali, & physica creaturæ. Denique nunc per infusionem talis gratiæ in tali Sacramento remittitur peccatum veniale, & tamen posset eadem gratia cum tota reali mutatione infundi sine remissione illius culpæ venialis; quia nec potest in hoc assignari implicatio contradictionis, nec formalis repugnantia inter gratiam illam, & veniale peccatum; ut omnino necessarium sit illa infusa expelli hoc: ergo decretum illud existeret cum solo hoc effectu morali sine vlla nova mutatione physica intrinseca reali.

Non minus efficacia argumenta sumi possunt ex effectibus positivis; aliquando enim Deus confert beneficium homini petenti ratione petitionis, qui respectus ad petitionem liber est deo, & tamen ratione illius nulla mutatio realis fit in effectu, quia totus ille cum omnibus intrinsecis conditionibus eius posset à Deo effici sine respectu ad hominis petitionem.

Dices, non existente petitione hominis posset Deum absolute idem dare sine tali respectu, tamen si dat existente petitione hominis, necessario tribuit propter illam, & ita non reddit hoc modo sine vlla speciali mutatione.

Sed contra, quia existente petitione potest Deus omnino illam non acceptare, nec beneficium conferre: ergo etiam potest non acceptare orationem, ut propter illam det, & nihilominus dare propter suam bonitatem, & puram liberalitatem. Similia argumenta sumi possunt ex aliis effectibus, quos deus confert, vel propter meritum præsertim de congruo; vel propter aliquam dispositionem, vel propter promissionem, & pactum ex quadam morali obligatione, vel propter aliquas causas non physicas, sed morales, ut ipsi adversarii arbitrantur esse sacramenta; nam in his omnibus requiritur diversus respectus & moralis modus operandi ex volitione divina absque novis mutationibus realibus Physicis.

Præterea multæ sunt volitiones Dei libere quæ per se ipsas non faciunt mutationem physicam; nam voluntas, quæ datur in deo circa omnipotentiam, quæ applicat ipsam ad hoc, ut operetur, & imperat ipsi ab æterno ut in tali tempore influat in effectum infallibiliter, & nihilominus non datur mutatio aliqua in omnipotentia: quia ipsa est idem, quod Deus, & deus non est mutabilis, sed immutabilis omnino; nam iuxta veriorum opinionem illa mutatio, quæ fit in effectibus, non correspondet divinæ voluntati immediate, sed potius divinæ potentie; quia divina voluntas non est, quæ immediate facit mutationes in creaturis, sed potius per volitionem applicat divinam omnipotentiam executioni à qua immediate procedunt creaturæ, & mutationes earum ergo prius secundum rationem quam omnipotentia influat & ab ipsa dimanant mutationes, intelligitur consummata, absoluta, & ut ita dicam terminata, ac finita tota formalissima voluntas

## Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 325

voluntatis, & nihilominus nulla datur mutatio ex vi illius, sed ex vi omnipotentiae imperate à voluntate; quia si ex vi volitionis formalissime daretur mutatio, potius daretur illa mutatio in omnipotentia, ad quam immediate, directe, ac formaliter dirigitur volitio imperans omnipotentiae, & applicans illam; quod est omnino absurdum, quam in creaturis ad quas mediate tantum ordinatur: ergo decretum liberum Dei non constituitur per mutationem extrinsecam physicam.

169 Efficaciter amplius vrgetur; quia Deus ordinavit incarnationem, vel passionem Christi ad redemptionem nostram, qui finis omnino extrinsecus erat incarnationi, & passioni, quæ tamen in se eadem omnino esset sine ordine ad talem finem.

170 Dices, aliquid peculiare additum esse incarnationi ex vi illius finis, scilicet modus in carne passibili. Sed hoc nihil refert, quia non solum ille modus sed ipsamet incarnatio ordinata est ad talem finem, imo idemmet modus, & ipsa Christi passio potuit ordinari, aut permitti à Deo sine tali fine propter alias causas, ita ut omnia, quæ in Christi passione contigerunt, eadem omnino fierent, solumque decederet ordinatio ad talem finem.

171 Dices, semper in re ipsa, seu ipsi medio aliquid peculiare addi ex vi talis intentionis, & ordinationis ad talem finem, ut in prædicto exemplo additum est; quod Christus ipse obtulerit passionem suam propter redemptionem nostram, quod non potuit oriri, nisi ex eo quod Deus ordinasset passionem eius in eum finem, & ita semper saluari potest, quod ordinatio diuina vnus rei ad extrinsecum finem causet in re aliquid speciale, quod non posset, nisi ex illo fine oriri.

172 Sed contra; & quidquid sit de illo peculiari exemplo, an scilicet verum sit, non potuisse Christum in voluntate humana habere illum actum referendi passionem suam in nostram salutem, nisi diuina voluntas eandem passionem in eundem finem præordinasset; nam fortasse potuit de potentia absoluta aliter contingere; quidquid (inquam) de hoc sit nihil obstat, quominus ipsa Christi passio extrinsecus sit relata in finem redemptionis per diuinam voluntatem prius quam per humanam illa: ergo relatio est prorsus extrinseca sine vlla mutatione, quæ in ipso medio fiat; imo illa alia relatio quæ per specialem actum voluntatis humanæ Christi facta est, fuit quasi nouum medium ex eodem fine redemptionis à diuina voluntate præordinatum.

173 Addere etiam possumus alia exempla, in quibus ex parte causæ secundæ nihil peculiare sit, quo medium ordinetur ad finem à Deo intentum, sed solum diuina ordinatio, seu intentio intercedat sine qua posset fieri totum id, quod in re sit propter alium finem; v.g. cum Deus permittit peccatum in prædestinato ut sit ei occasio maioris boni, illa permissio, seu carentia auxilij efficacis potest esse in sententia Patris Herize medium ad salutem prædestinati, ad quem finem à nullo alio nisi à Deo ordinatur, & tamen eadem omnino permissio esse posset sine tali fine. Similiter permittit Deus venditionem Iosephi factam Aegyptijs à fratribus eius ex intentione exaltandi Iosephum, & per eum saluandi multos populos, ut dicitur Genes. 50. & ex intentione etiam repræsentandi in ipso venditionem Christi, ad quos fines fuit medium ordinatum tam permissio, quam etiam ipsa venditio quoad actionem physicam, & mo-

ralem, & tamen nullus ordinauit illum actum in talem finem; nisi Deus sua volitione, nihilque in re ipsa fuit in tali actu, quod non posset esse sine ordinatione ad talem finem: ergo Deus potest habere aliquem actum circa obiectum sine intrinseca, & physica mutatione illius.

174 Vltimo vrgetur hoc argumentum ratione, tum à priori, tum à posteriori; à priori quia Deus non tantum est perfectum agens in ratione causæ physicae, sed etiam in ratione causæ moralis; & ideo tam ex parte effectus, quam ex parte modi vtramque causalitatem per suam liberam voluntatem exercere potest: ergo non tantum physicos effectus, qui per reales mutationes fiunt, sed etiam morales, qui non semper illas mutationes requirunt efficere potest.

175 Explicatur; nam voluntas diuina eo quod est summe libera, & summus, ac purissimus actus, summamque habet perfectionem tam in, potestate & libertate volendi, quam in modo, simul potest & velle libere obiecta creata, & tamen illa velle absque vlla sui mutatione, seu reali additione illi facta: ergo ex eadem summa perfectione, potestate, & libertate potest velle hoc medium propter hunc, vel illum finem extrinsecum pro suo arbitrio, & sine vlla mutatione, vel reali additione, quæ in ipso Deo fiat, quia hæc repugnat perfectioni eius, neque etiam est necesse ut aliquid speciale addatur ipsi rei, quæ est medium præter ipsum esse eius, quia hoc non requiritur ex vi solius ordinationis in extrinsecum finem, neque ad illam aliquid semper conducit.

176 Nec potest dici hoc implicare contradictionem, alias eodem modo dicere quis posset Deum non esse agens liberum, quia implicat contradictionem sine imperfectione mutabilitatis habere libertatem, sicut ergo quamvis humana ratio non satis comprehendat, quomodo illa duo simul in Deum conueniant, nihilominus nec negat, nec negare potest, quia vtrumque per se spectat ad perfectionem simpliciter, ita in proposito sentiendum est, cum ad eius perfectionem pertineat quod sic patet, quia ad perfectionem diuinæ voluntatis pertinet non tantum posse libere & efficaciter velle obiecta, seu effectus, sed etiam fines eorum & ordinationem vnus in alium: ergo potest hoc libere facere sine speciali mutatione reali.

177 Antecedens patet, tum quia in Angelo, vel homine v.g. hoc spectat per se ad perfectionem, tum etiam quia in hoc ostenditur maius dominium voluntatis in actionibus, seu effectibus suis: consequentia vero probatur, quia ordinatio alienius rei in extrinsecum finem per se non ponit mutationem aliquam in tali re, ut in humanis etiam actionibus videre licet.

178 Dices, quamvis homo, vel Angelus hoc faciat per solam extrinsecam denominationem, vel habitudinem, Deum tamen semper id facere per intrinsecam mutationem; & hoc esse maioris perfectionis.

179 Sed contra, quia ad perfectionem quidem pertinet posse facere hoc per intrinsecam mutationem, quando & fini, & effectui consentanea est tamen quod illa mutatio fiat per ipsammet intentionem præcise conceptam, & non per voluntatem exequentem ad perfectionem non referre, sicut non refert ad perfectionem diuinam, quod Deus mutet intrinsece obiectum per cognitionem suam, ut dif-  
ferat à creatura, quæ non mutat intrinsece obiectum, sed constituit extrinsece cognitum.

Deinde dicitur, quamvis posse facere illam mu-  
tationem, rationem,

tationem, quando est oportuna, sit perfectionis, tamen quando necessaria non est non posse sine illa ordinate medium ad finem non pertinere ad perfectionem, sed potius ad limitationem dominij, & potestatis, tum quia sæpe ordinatio in finem, nec requirit, nec admittit talem mutationem ut patet in exemplis positis supra, & in eo quod Scriptura dicit, propter electos breuiabuntur dies illi, quæ enim specialis mutatio fieri potuit in illa temporis præfinitione propter electos, quæ sine hoc fine fieri non posset.

181 Tum etiam quia vel facta illa mutatione, res manet intrinsece, ac necessario ordinata in talem finem, vel adhuc finis est extrinsecus; si primum dicatur, reuera Deus nunquam ordinat proxime rem aliquam in extrinsecum finem; neque ad hoc habet libertatem; quod est summum absurdum; si vero dicatur secundum: ergo necessaria est noua ordinatio libera, quæ non habet specialem mutationem. Tum denique, quia in his, quæ natura sua videntur per se ordinata; ut sunt verbi gratia, supernaturalis gratia, & gloria est necessaria voluntas quasi elicitæ directæ tendens in ipsum finem, quia Deus non dicitur intendere finem solum, quia vult rem quæ natura sua tendit in talem finem; nam hic est imperfectus modus operandi propter finem: ergo necesse est, ut ipsum finem in se directæ vellet, unde posset Deus alicui dare gratiam sine vilo proposito, neque efficacia, neque inefficaci dandi gloriam, imo cum proposito nunquam dandi illam, sed solum conferendi gratiam propter actus virtutis, & propter intrinsecam perfectionem eius: ergo etiam in his, quæ videntur per se ordinata dare vnum propter aliud est specialis voluntas libera Dei, cui noua mutatio non respondet.

182 Rationem autem à posteriori sic formo; quia voluntas creata potest hoc modo operari, & referre media ad finem: ergo multo magis hoc potest voluntas diuina. Antecedens constat; quia eandem actionem dandi aliquid potest voluntas humana velle, & imperare ex intentione huius vel illius finis absque eo quod actio illa alia sit, vel aliter fiat in re, ac physice; sed solum moraliter per denominationem ab actu voluntatis; consequentia autem probatur, quia hoc pertinet ad perfectionem diuinæ voluntatis, ut eminentiori modo possit quidquid creata voluntas potest, quod imperfectionem non includat.

183 Dices, hoc contingere in humana voluntate, quia efficit diuersos actus, quibus exterioriorem actionem potest in diuersos fines referre, & ita ab eis potest denominari exterior actus ordinatus in hunc, vel illum finem; quod in voluntate diuina non habet locum.

184 Sed contra, quia in hoc consistit eminentia diuinæ voluntatis, ut sine his imperfectionibus possit quidquid creata voluntas recte operans cum illis potest, præcipue cum non sit perfectior creata voluntas in exercitio suæ libertatis.

#### SVBSECTIO X.

*Ex condonatione extrinseca peccati nostra veritas probatur.*

185 **P**robatur primo, quia ad remissionem peccati habitualis requiritur volitio diuina, seu decretum liberum remittens tale peccatum habituale; quia iniuria diuina, quale est tale peccatum, non

potest condonari sine decreto libero Dei remittente illud, & condonante ipsum; sed ad decretum illud remittens, & condonans non sequitur, & ut melius loquar per potentiam Dei absolutam potest non sequi mutatio physica intrinseca in peccatore, cui diuinitus remitteretur, & condonaretur tale peccatum, licet de facto sequatur mutatio physica; quia coniungitur cum priuatione gratiæ habitualis: ergo tale decretum essentialiter non constituitur per mutationem physicam; nam si essentialiter constitueretur per illam adhuc de potentia Dei absoluta non posset repetiri sine illa; quia res sine constitutio essentiali adhuc diuinitus non potest consistere, ut homo sine anima rationali. Minor sic probatur, quia eo modo requiritur mutatio ad destructionem alicuius, quod potest per se destrui & non per accidens, quo est ipsa res, quæ destruitur per talem mutationem: sed peccatum habituale, quod destruitur, est solum adæquate, & totaliter ens morale sine vlla ratione physica: ergo sola mutatio moralis requiritur ad peccati destructionem & minime physica intrinseca. Maior est certissima; quia si res, quæ destruitur, est extrinseca solum, requiritur duntaxat mutatio extrinseca in subiecto, in quo talis ratio destruitur, & ideo ut in aliquo destruantur esse visum, esse intellectum, esse amatum, esse dexterum, non requiritur mutatio intrinseca in subiecto, sed sufficit mutatio extrinseca; unde homo, qui de visio transit in non visum, & de dextero transit ad non dexterum, non transit intrinsece, sed extrinsece; atqui transitus ille est mutatio: ergo per mutationem extrinsecam mutatur de visio ad non visum, cum autem per talem mutationem, aut transitum destruat res illa extrinseca, emittenter sequitur rationem extrinsecam destrui per mutationem extrinsecam sine mutatione vlla intrinseca.

Item, quia debitum quod resultat ex iniuria facta alicui, vel ex promissione, aut pacto iustitiz contractum est debitum morale, & quia seruitus & dominium sunt rationes morales, destruantur per solum mutationem moralem, ut videre est in toto regno Galliarum, ubi nulla datur seruitus mancipij in persona catholica, quod adeo verum est, ut si aliquis catholicus, qui mancipium sit, ingreditur Galliarum regnum, statim extinguitur illa ratio seruitutis, & mancipij non per mutationem physicam, in mancipio intrinsecam, sed per mutationem duntaxat moralem: quod patet euidenter, quia talis mutatio sit per legem, quæ in Gallia introducta, & stabilita est: atqui lex est tantum causa moralis, & non physica: ergo mutationem physicam non potest efficere, quia id quod non habet aliquod esse, non potest producere, & causare illud: ergo si lex non habet esse physicum in esse legis, non poterit causare mutationem physicam, sed tantum moralem, ac proinde per solum mutationem moralem destruetur ratio seruitutis, quod etiam patet in iniuria condonata ab vno homine respectu alterius, cuius debitum destruitur in iniuriante, non per mutationem physicam intrinsecam factam in ipso, sed solum per mutationem moralem.

Tandem si res, quæ destruitur per se sit intrinseca physica, ut est intellectio in intellectu, aut vnio animæ rationalis in homine, non potest destrui per solum mutationem, aut moralem, aut extrinsecam, sed necessario est mutatio intrinseca, & physica in illo, in quo destruitur ratio intrinseca, & physica.

Ratio autem à priori est, quia mutatio accipit esse,